

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Plinivm Secvndvm Virtvtis Naturalis Exemplar

Herbart, Johann Michael

Oldenbvrgi, MDCCLXIV.

VD18 13536443

[Plinivm Secvndvm Virtvtis Naturalis Exemplar]

urn:nbn:de:gbv:45:1-19953



falluntur in eo Christianorum plerique, quod, quae debentur naturae, ea gratiae tribuunt. Quod animadvertentes magni nominis theologi, quos inter primum Spenerus locum merito obtinet, naturae fines et gratiae accurate constituere annisi sunt, certissimis insuper signis, quibus utriusque termini dignoscantur, expositis. Ego vero existimaverim, huic negotio inservire imprimis etiam exempla, quibus docemur, quantum natura bene exulta valeat, et quousque possit provehi? Prodeant eo consilio dumviri, magna Graeciae et Latii ornamenta, Socrates et Plinius. At enim vero arcti Programmatis limites utrosque viros non capiunt.

Vnicum igitur Plinium Secundum in scenam prodire jubeo, tanquam verum virtutis naturalis exemplar. De patria eius, genere &c. multa commemorare non est huius loci. Sufficit nosse, eum educatum esse cura matris et avunculi, Plinii maioris, nec non tutoris Virginii Rufi, quem mortuum adhuc quaerebat Plinius noster ac desiderabat, ut exemplar aevi prioris, a) cui fortasse cives aliquos virtutibus pares haberent et habituri essent, (Romani) gloria neminem b.) Inter eos autem, qui adolescentiam ipsius formarunt, memorandus etiam est Corellius Rufus, vir optimae conscientiae, optimae famae, maximae auctoritatis, cuius morte voluntaria vehementer dolebat Plinius. Doleo, inquit, ami-

A 2

a. Lib. II. 1. b. ibid.

si enim vitae meae testem, rectorem, magistrum c.) Huius uxor Hispulla, pietatis exemplum, a cuius manibus Calpurnia, Plinii conjux, educata, cuius praeceptis instituta erat, in cuius contubernio nihil viderat nisi sanctum honestumque, nostrum quoque a pueritia statim formaverat. d) Eadem praedicat Plinius de Aruleno Rustico. Ita enim ad fratrem ejus Junium Mauricum scribit: Scis, quibus ille adolescentiam meam exhortationibus fovit, quibus etiam laudibus, ut laudandus videar, effecerit e.) Ex quo jam facile colligi potest, Plinium nostrum non minus optimis usum fuisse praeceptoribus. De Quintiliano quidem id certo constat. f.) Mirum igitur non est, adolescentulum bonae indolis, a primis incunabulis de pietate, fide, frugalitate, modestia, justitia &c. praeceptis imbutum, vivis exemplis confirmatum, ab optimis praeceptoribus omni scientiarum atque artium genere fideliter instructum tandem eo proVectum esse, ut exemplar virtutis naturalis sibi possit. Qui, quae sequuntur, aequa lance ponderaverit, pedibus eum in meam iturum esse sententiam, nullus dubito.

Reverentiam erga Deos immortales quavis data occasione testatus est. Regulus, nequissimus caussidicus, coram iudicio centumvirali ex eo quaerebat: quid sentiat de Modesto, quem Domitianus relegaverat? Si Plinius respondisset *bene*, subibat periculum, si *male*, erat flagitium. Hic Plinius ita alio derivabat responsionem, ut Reguli laqueos felicissime declinaret. Id vero non sibi, sed *Diis acceptum refert*, non possum, inquit, dicere aliud tunc mihi quam *Deos adfuisse* g) Aristo quidam pertinaciter diu vexatus valetudine paucos cum Plinio, qui eum singulariter mirabatur et diligebat, advocavit rogavitque, ut medicos consuleret de summa valetudinis, ut, si esset insuperabilis, sponte exiret e vita. Medici secunda ipsis pollicentur. Superest, pergit Noster, *ut promissis Deus adjuvat tandemque me hac sollicitudine exsoluat*. h) Emerat Plinius Corinthium signum, modicum quidem sed festivum et expressum, senem nimirum stantem, non ut haberet domi (neque enim ullum adhuc Corinthium domi habebat) verum ut in patria sua celebri loco poneret, ac potissimum in *Jovis templo*. i)

mos
c. L. I. 12. d. L. IV. 19. e. L. I. 14. f. L. II. 14. g. L. I. 5. h. L. I.
22. i. L. III. 6.

mos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim, ait, infirmum aut avaritia, aut libido sollicitat &c.? *hunc Deos tunc, hominem esse se, meminit.* Possum ergo, pergit sub finem epistolae, ipse breviter tibi mihiq; praecipere, vt tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi. k) Maximum ad Achajam ordinandam missum, praeter alia, vt *revereatur ibi conditores Deos, nomina Deorum,* monet. l) Aruspicum monitu refecit *aedem Cereris* in praediis suis in melius et in majus, m) Tifernum Tiberinum, oppidum Plinii praediis vicinum illum pene adhuc puerum Patronum cooptaverat et impense illum amabat. Vt igitur referret gratiam (quia vinci in amore turpissimum est) *templum pecunia sua extruxit;* cuius *dedicationem,* cum sit paratum, *differre longius, irreligiosum esse* arbitratur. n) Rogat Trajanum, dignitati, ad quam ipsum indulgentia ejus proxeerat, vel auguratum, vel septemviratum, quia vacent, adjicere dignetur, vt jure sacerdotii *Deos pro Imperatore publice precari possit, quos nunc precetur pietate privata.* o) Valde religiosum fuisse Plinium inde etiam patet, quod, cum Nicomediae aedes vetustissima Matris Magnae aut reficienda, aut transferenda esset, ipse haesitaret, ideoque ex Trajano quaereret, *an salva religione possit transferri?* cum alioqui commodissimum esset, *si religio non impediret.* p)

Neque vero *officiis sibi debitis* ulla in re defuit Plinius. Quanto pere enim *omnes animae vires* intenderit atque excoluerit, ex Epistolis aequae ac Panegyrico abunde elucet. Quid? quod adeo studiis addictus erat, vt, cum in venatione ad retia federet, in proximo non venabulum esset, aut lancea, sed stilus et pugillares. Meditabatur aliquid enotabatque, vt, si manus vacuas, plenas tamen ceras reportaret. Auctor hinc est Tacito suo, vt ad venationem, quemadmodum panarium et lagunculam, sic etiam pugillares ferat; experturum enim, non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare. q) Huc spectant L. IX, 36, 40. quae non excerpti sed legi merentur. Interea *curam corporis* hand quaquam neglexit. In Laurentino enim aut legebat aliquid aut scribebat, aut etiam *corpori vacabat,* cuius fulturis animus sustinetur. r) Quando in *adversam valetudinem* inciderat, denunciabat suis, ne quid ipsi detur, nisi *permittentibus me-*

A 3

dicis.

k. L. VII. 26. l. L. VIII. 24. m. L. IX. 39. n. L. IV. 1. o. L. X. 8.
p. X. 52. q. L. I. 9. r. L. I. 9.

dicis. Cum *perustus ardentissima febre* tandemque remissus vicesimo valetudinis die balineo praepararetur, mussantesque medicos repente vidisset, causam requisivit. Dum respondent, tuto ipsum posse lavari, non tamen omnino sine aliqua suspicione; quid, (inquit) necesse est? Atque ita spe balinei, cui jam videbatur inferri, placide leniterque dimissa, ad abstinentiam rursus non secus, ac modo ad balineum, animum vultumque composuit. s) *Infirmitati oculorum*, qua interdum laborabat, sedulo consuluit. Non stilo modo, verum etiam lectionibus, licet difficulter, abstinebat, solisque auribus studebat. Cubicula obductis velis opaca nec tamen obscura fecit; balineum adsumsit, quia prodest, vinum, quia non nocet, parcissime tamen. t) *Castitatem* satis probavit amore in conjugem tenerrimo. Inprimis autem mirum in modum *sobrius erat ac frugalis*. Cum alii ad coenam vocatis ostrea, vulvas, echinos apponerent; apud ipsum paratae erant lactucae, cochleae, ova, alica cum mullo et nive, olivae Baeticae, bulbi. u) Vocatus ad coenam se venturum promittit, sed paciscitur, sit expedita, sit parca. Suae ipsius enim coenae ut apparatus et impendii, sic temporis ratio constare debebat. v)

Amor eius erga alios homines in omnes, quotquot cogitari possunt, ramos sese diffudit. Quisnam *filius matrem* unquam impensius amavit, quam noster Plinius? In notissimo illo eodemque horrendo terrae tremore, quo cinis, qui, quasi atra nubes, ex Vesuvio ascenderat, jamjam descenderet in terras, operiret maria, cinxisset Capreas et abscondisset, Miseni, ubi degebat Noster, quod procurrit, abstulisset: tum mater orare, hortari, jubere, quoquo modo fugeret: posse enim juvenem: se et annis et corpore gravem bene morituram, si ipsi causa mortis non fuisset; Plinius contra: *salvum se, nisi una, non futurum*: deinde manum ejus amplexus addere gradum cogit: paret aegre incusatque se, quod ipsum moretur. x) Atque *o beatam conjugem*, cui tali viro nubere contigit! Plinius enim nunquam magis de occupationibus suis questus est, quae cum non sunt passae, aut proficiscentem conjugem valetudinis causa, in Campaniam prosequi aut profectam e vestigio subsequi. Nunc enim praecipue simul esse cupiebat, ut oculis suis crederet, et quid viribus, quid corpusculo acquireret, ecquid denique lecessus voluptates re-

s. L. VII. 1. t. L. VII. 21. u. L. I. 15. v. L. III. 12. x. L. VI. 20. gjo.

gionisque abundantiam inoffensa transmitteret. Equidem etiam fortem eam non sine cura desiderare; esse enim suspensum et anxium de eo, quem ardentissime diligas, interdum nihil scire. Nunc vero se cum absentiae, tum infirmitatis eius rationem incerta et varia solitudine exterrere; se vereri omnia, imaginari omnia, quaeque natura metuentium est, ea maxime sibi, quae maxime abominetur, fingere; quo impensius rogare, ut timori suo quotidie singulis, vel etiam binis epistolis consulat; futurum enim se securiorem, dum legat, statimque fore, ut timeat, cum legerit. Calpurnia contra tam dilecta conjux, absentia mariti non mediocriter afficiebatur; namque habebat solatium, quod pro illo libellos ejus teneat, saepe etiam in vestigio eius collocet. Gratum est Plinio, quod ipsum requirit, quod his fomentis requiescit; invicem eius epistolas lectitat, atque identidem in manus quasi novas sumit, sed eo magis ad desiderium eius accenditur. Nam cuius litterae tantum habent suavitatis, huius sermonibus quantum dulcedinis insit? Rogat tamen, ut frequentissime scribat, licet hoc ita se delectet, ut torqueat. Alio tempore scribit: incredibile esse, quanto desiderio conjugis teneatur: In causa amorem primum; deinde, quod non consueverint abesse. Inde esse, quod magnam partem noctium in imagine illius vigil exigat, inde, quod interdiu, quibus horis eam visere soleret, ad diaetam eius ipsum se, ut verissime dicitur, pedes ducant; quod denique aeger et moestus, et similis excluso, a vacuo limine recedat; unum tempus his tormentis carere, quo in foro et amicorum litibus conteratur. Aestimetur Calpurnia, quae vita sua sit, cui requies in labore, in miseria curisque solatium sit. Cum igitur uxoris ingenium et mores in litteris ad Hispullam soceri sororem scriptis laudasset, in fine scribit: certatim nos tibi gratias agimus: ego, quod illam mihi: illa, quod me sibi dederis, quasi invicem elegeris. y) *Amor in amicos* tantus erat, ut nonnulli reprehenderent, tanquam amicos ex omni occasione ultra modum laudet. Agnoscit Plinius hoc crimen, amplectitur etiam. Quid enim, inquit, honestius culpa benignitatis? Qui sunt tamen isti, qui amicos meos melius me norint? sed ut norint, quid invident mihi felicissimo errore? Ut enim non sint tales, quales a me praedicantur; ego tamen beatus, quod mihi videntur

y. L. VI. 4. 7. L. VII. 5. L. IV. 19.

tur - - - mihi nunquam persuadebunt, ut meos amicos amari a me nimium putem, z) Quid autem mirum, cum Plinii amor omnino esset universalis, ad omnis generis homines sese extendens? id quod testantur

Humanitas singularis erga servos et libertos. Erat enim Dominus in servos mitissimus, a) Nusquam habebat vinctos mancipes, b) Infirmitates eorum, mortes etiam illum conficiebant. Permisit illis quoque quasi testamenta facere (praeter morem) eaque ut legitima custodiebat. Mandant, inquit, rogantque, quod visum: pareo ut iussus. Dividunt, donant, relinquunt, duntaxat intra domum. Nam servis respublica quaedam et quali civitas domus est, c) Frangebatur eum infirmitas liberti Zosimi, cui tanto majorem humanitatem exhibendam esse censebat, quanto illa magis egeat. Erat ille Plinii Anagnostes, et, dum intente instanterque pronuntiat, sanguinem rejecit, atque ob hoc missus in Aegyptum post longam peregrinationem confirmatus rediit; deinde, dum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmitatis tussicula admonitus sanguinem reddidit. Qua ex causa destinavit Plinius eum mittere in praedia Paullini amici sui, quod ibi esset aer salubris et lac hujusmodi curationibus accommodatissimum. Rogat ideo Paullinum, scribat suis, ut illi villa, ut domus pateat, offerant etiam sumptibus ejus, si quid opus esset. Ipse proficiscenti tantum viatici dat, quantum eunti sufficiat, d) Nec minus hoc *Pliniana humanitatis* documentum esse mihi videtur, quod, qui acerbius duriusque castigaverat filium suum, quod paulo sumtuosius equos et canes emeret, eum ita alloquitur: Heus tu, nunquamne fecisti, quod a patre corrigi posset? Non interdum facis, quod filius tuus, si repente pater ille, tu filius, pari gravitate reprehendat? Non omnes homines aliquo errore ducuntur? Non hic in illo sibi, in hoc alius, indulget? Cogita et illum puerum esse et te fuisse: atque ita hoc, quod es pater, utere, ut memineris, et hominem esse te et hominis patrem, e) Genitor, amicus Plinii questus erat, taedio sibi fuisse quamvis lautissimam coenam, quia securae, cinaedi, moriones mensis inerrassent. Respondet Plinius: vis tu remittere aliquid ex rugis? Equidem nihil tale habeo, habentes tamen

z. L. VII. 28. a. L. I. 4.

b. L. III. 19.

c. L. VIII. 16.

d. L. V.

19. e. L. IX. 12.

f. L. VII. 28.

g. L. VII. 28.

tamen tero. Quam multos putas esse, quos aequae ea, quibus ego et tu capimur et ducimur, partim ut inepta, partim ut molestissima offendant? . . Demus igitur alienis oblectationibus, ut nostris impetremus. f)

Aequitas. Erat Plinius diligentissimus iustitiae custos; cum vero res ad se pertineret, in eius locum cedebat *Aequitas*. Dixerat nimirum sibi propriam quandam legem, ut defunctorum voluntates, etiamsi jure deficerent, quasi perfectas tueretur. Admonuerat ipsum Ammianus, codicillos Aciliani, qui eum instituerat ex parte heredem, pro non scriptis habendos, quia non sint confirmati testamento. Respondet Plinius: constare, codicillos illos Aciliani manu scriptos; licet ergo non sint confirmati testamento, a se tamen (ob rationes antea allatas) ut confirmatos observatum iri. g) Sabinus scripserat Plinio, Sabinam sese reliquisse heredes, Modestum servum suum nusquam liberum esse, (scilicet more legali) iussisse; eidem tamen sic adscripsisse legatum: *Modesto, quem liberum esse iussi*. Contulit Plinius cum prudentibus. Convenit inter omnes, nec libertatem deberi Modesto, quia non sit (legitime) data, nec legatum, quia servo suo dederit. Sed manifestus Plinio error videtur, ideoque putat, sibi, quasi scripserit Sabina, faciendum, quod ipsa scripsisse se credidit. Vult ergo, ut Modestus moretur in libertate, fruatur legato, quasi Sabina omnia diligentissime caverit, cavisse autem, quae heredes bene elegerit. h) *Eandem virtutem* laudat etiam in aliis. Cum enim Marcellinus in provinciam Quaestor exisset, scribamque, qui sorte obtigerat, ante legitimum salarii tempus amississet, quod acceperat scribae daturus, intellexit et statuit, subsidere apud se (quod forsitan multi aliter statuissent) non oportere. Reversus rem ad Senatum detulit. Acta causa, censebatur, salarium hoc aerario esse inferendum. Tu lauda, scribit ad Arrianum Plinius, Marcellinum, ut ego statim feci. i) Secundum leges Romanas respublicae nec heres institui, nec praecipere poterat. Saturninus autem, qui Plinium heredem reliquerat, quadrantem reipublicae, deinde pro quadrante praecipuum quadringentorum millium dederat. Hoc irritum erat, si jus adspicias, Plinio autem defuncti voluntas antiquior jure erat, utique in eo, quod ad communem patriam

B

f. L. IX. 17. g. L. II. 16. h. L. IV. 10. i. L. IV. 12.

triam voluit pervenire. k) Vendiderat idem vindemias certatim negotiatoribus ementibus. Invitabat pretium et quod tunc, et quod fore videbatur. Spes sefellit. Concessit igitur omnibus, ne quis ipsi non donatus abiret, partem octavam pretii, quo quis emerat: deinde iis, qui amplissimas summas emtionibus occupaverant, separatim consuluit. l)

Liberalitas. Vult Plinius, eum, qui sit vere liberalis, tribuere patriae, propinquis, adfinibus, amicis, sed amicis pauperibus: non ut isti, qui iis potissimum donant, qui donare maxime possunt. Hos fiscatis hamatisque muneribus non sua promere putat, sed aliena corripere. m) Quae praecepta ipse sollicitate secutus Plinius Municipibus suis donavit dedicavitque Bibliothecam publicam, annuos simul sumtus in alimenta ingenuorum pollicitus. mm) Firmus, munciceps ejus et condiscipulus et ab ineunte aetate contubernalis erat decurio, possidens censum centum millium. Cum vero Plinius illo non decurione solum, verum etiam equite Romano perfrui cuperet, offerebat ipsi ad implendas equestres facultates CCC. millia nummum. n) Calvina patris hereditatem adire dubitabat, quod esset in aere alieno. Plinius autem cum, dimissis omnibus (soluta scil. pecunia) qui diligentiores erant, solus creditor existeret, hortatur eam, ut famam defuncti pudoremque suscipiat, jubetque acceptum ipsi ferri, quicquid sibi illius pater debuit. Addit, istam donationem sibi haudquaquam esse onerosam, esse quidem sibi modicas facultates, sumtuosam dignitatem, redditum incertum; sed quod cesset ex reditu, suppleri frugalitate, ex qua velut e fonte liberalitas sua decurrat. o) Municipes suos hortatus, ut scholam instituant, tertiam sumtus partem pollicebatur. Sed audiamus ipsum Plinium ad Tacitum scribentem: Proxiine cum in patria mea fui, venit ad me salutandum municipis mei filius praetextatus. Huic ego, studes? inquam. Respondit: Etiam. Vbi? Mediolani. Cur non hic? Et pater ejus (erat enim una) quia nullos hic praeceptores habemus. Quare nullos? nam vehementer intererat vestra, qui patres estis (et oppurtune complures patres audiebant) liberos vestros hic potissimum discere. Vbi enim aut jucundius morarentur,

quam
k. L. V. 7. l. L. VIII. 2. m. L. IX. 30. mm. L. I. 8. n. L. I. 19.
o. L. II. 4.

quam in patria; aut pudicius continerentur, quam sub oculis parentum? aut minore sumtu, quam domi? Quantulum est ergo, collata pecunia conducere praeceptores? quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea, quae peregre emuntur (omnia autem peregre emuntur) impenditis, adjicere mercedibus? Atque adeo ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum pro republica nostra, quasi pro filia vel parente, tertiam partem eius, quod conferre vobis placebit, dare. p) Quintiliani, quo praeceptore usus erat Plinius, filia nuptura erat honestissimo viro, cui ratio civilium officiorum necessitatem quandam nitoris imponebat. Sciens igitur Plinius, Quintilianum modicum facultatibus, partem oneris sibi vindicat et tanquam parens alter, puellae confert quinquaginta millia nummum, plus collaturus, nisi a verecundia Quintiliani sola mediocritate munusculi impetrari posse confideret, ne recularet. q) Hermes, Plinii libertus, Corelliae, quam Plinius cum summa reverentia diligebat, primum ut sororem Corellii Rufi, cuius memoria ipsi sacrosancta erat, deinde ut matri suae familiarissimam, hereditarios agros, non expectata auctione, pro quincunce ex septingentis millibus addixerat, qui nongentis millibus venire potuissent. Fabatus miratur hoc et quaerit ex Plinio, an ratum servet? Plinius: servo. Vides, quam ratum habere debeam, quod libertus meus meis moribus gessit. r) Corellia ipsa impense et rogat et exigit, ut accipi jubeat Plinius a se pretium agrorum non ex septingentis millibus, quanti illos a liberto eius, sed ex nongentis, quanti a publicanis partem vicesimam emisset. Invicem Plinius et rogat et exigit, ut patiat, se in hoc uno ipsi eodem animo repugnare, quo in omnibus obsequi soleat. s)

Favor et studium erga litteras, scholas et viros eruditos. Mauricus petierat a Plinio, ut praeceptorem fratris sui liberis quaereret. Respondet ille: quid a te jucundius mihi potuit injungi? nam beneficio tuo in scholam redeo: illam dulcissimam aetatem quasi resumo. Sedeo inter juvenes, ut solebam: atque etiam experior, quantum apud illos auctoritatis ex studiis habeam: nam proxime frequenti auditorio inter se coram multis ordinis nostri clare loquebantur: intravi, conticuerunt. Quod superest, cum omnes, qui profitentur, audiero, quid de quoque sentiam, scribam efficiamque, ut ipse omnes

B. 2. audisse
p. L. IV. 13. q. L. VI. 32. r. L. VII, 11. s. L. VII. 14.



audisse videaris. Debeo enim tibi, debeo memoriae fratris tui hanc fidem, hoc studium, praesertim super tanta re. t) Pari cura consulit Corelliae de instituendis filii studiis. u) Quam sollicitus fuerit de condenda in patria, Comi, nova schola, paulo ante jam commemoravius. v) Calpurnium Pisonem *κατασερισμῶν* eruditam luculentamque materiam in auditorio recitantem audierat Plinius, qui, recitatione finita, multum ac diu exosculatus adolescentem, qui est acerrimus stimulus monendi, laudibus incitavit, pergeret, qua coepisset, lumenque, quod sibi majores sui praetulissent, posteris ipse praeferret. Faveo, pergit, seculo, ne sit sterile et effoetum x) Fusco, amico suo, quaerenti, quemadmodum in secessu putet se studere oportere, optimam exercendi filii rationem praescribit Plinius, utile inprimis, inquiring, vel ex graeco in latinum, vel ex latino vertere in graecum: quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur: simul quae legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt. Intelligentia ex hoc et iudicium acquiritur &c. y) Adeo addictus elegantioribus litteris omne tempus ludorum Circensium inter pugillares ac libellos jucundissima quiete transmisit, miratus, tot milia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Et cum recordatur, etiam quosdam graves homines in re inani, frigida, assidua, tam insatiabiliter desiderare, capit aliquam voluptatem, quod hac voluptate non capiatur. Ac per hos dies libentissime otium suum in litteris collocat, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. z)

Quanto studio, quanto amore amplexus fuerit omnes omnino viros eruditos ac probitate insignes, et quantopere eos aliis commendaverit, si memorare vellem, magnus epistolarum numerus non excerpendus sed describendus mihi esset. Legi autem prae aliis possunt L. I. 10. II. 1, III. 1. 2. VII. 30.

Multa eorum, quae a nobis in medium prolata sunt, jam factis probant, quam *officiosus* fuerit Plinius. Liceat autem mihi unicum

t. L. II. 18. u. L. III. 3. v. L. IV. 13. x. L. V. 17. y. L. VII. 9.
z. L. IX. 6.

cum adhuc idque memorabile adjicere documentum. Mauricus petierat, ut fratri filiae prospiceret maritum. Respondet Plinius, nihil esse, quod a Maurico mandari sibi aut majus aut gratius, nihil, quod honestius a se suscipi possit, quam ut eligat juvenem, ex quo nasci nepotes Aruleno Rustico deceat; quem quidem diu quaerendum fuisse, nisi paratus et quasi provisus esset Minucius Acilianus, vir juvenis sanctissimis moribus; patria, quae multum adhuc verecundiae, frugalitatis atque etiam rusticitatis antiquae retineat ac servet; nobilissimo genere, magnis virtutibus splendente; magno ipsius vigore ac industria, quamquam in maxima verecundia; summis honoribus; liberali facie multo sanguine, multo rubore suffusa; ingenua totius corporis pulchritudine et quodam senatorio decore, magnopere commendandus, Quae quidem Noster nequaquam arbitratur negligenda: debere enim hoc castitati puellarum quasi praemium dari. Nescit, an adjiciat, esse patri eius magnas facultates, Nam cum imaginatur eos, quibus quaerit generum, silendum de facultatibus putat: cum autem publicos mores atque etiam leges civitatis intuetur, quae vel inprimis census hominum spectandos arbitratur, ne id quidem praetereundem videtur. a)

Quantus autem illius erga omnes probos ac cordatos viros fuit amor ac benevolentia, tanto *prosecutus est odio adulatores*, infame hominum genus. b)

Qua fide, industria, nec minus justitia non magistratibus solum in urbe functus fuerit, sed et Propraetor provinciam Bithyniam rexerit, testis est omni exceptione major ipse Trajanus, Imperator optimus, et civis, inquires, et senatoris boni partibus functus es, obsequium amplissimi ordinis, quod justissime exigebat, praestando. Quas partes impleturum te, secundum susceptam fidem confido. c) Imperatoris fiducia Plinii inde elucet, quod, cum hic rogasset, ut descenderet ad curas suas, ille respondet: Memineris, idcirco te in istam provinciam missum, quoniam multa in ea emendanda apparuerint. d) Cum retulisset Plinius de lacu Nicomedensium cum mari committendo; rescribit Trajanus: Manifestum est, mi Secunde carissime, nec prudentiam nec diligentiam tibi defuisse circa istum lacum. e) Post-

B 3

quam

a. L. I. 14. b. L. VIII. 6. c. L. X. 21. d. L. X. 40. 41. e. L. X. 70.

quam Plinius commeatum in agros excurrendi gravissimis de causis petierat, resp. Trajanus: Et privatas et omnes publicas causas petendi commeatus reddidisti: mihi autem vel sola voluntas tua sufficisset. f) Julius Largus ex Ponto rogaverat Plinium testamento, ut hereditatem suam adiret ac perceptis 50000 millibus nummum, reliquum omne Heracleatarum et Tianorum civitatibus redderet &c. Resp. Trajanus Plinio, qui rem ad eum detulerat; Julianus Largus fidem tuam, quasi te bene nosset, elegit. g) *Quam ad fidem adeo probatam atque exploratam provocat Plinius, quoties testimonia perhiberet, perhibuit autem quam plurima. Sed unici mentionem facere sufficiat. Sic Plinius Trajano: Maximum libertum et procuratorem tuum, Domine, per omne tempus, quo fuimus una, probum et industrium et diligentem, ac, sicut rei tuae amantissimum, ita disciplinae tenacissimum expertus, libenter apud te testimonio prosequor ea fide, quam tibi debeo.* h)

Haud quaquam autem dissimulandum est, in hoc uno recte reprehendi Plinium a Pontio, quod, homo severus nec ineptus, coeperit hendecasyllabos scribere. i) Regerit quidem Plinius, se ejusmodi versiculos in vehiculo, in balineo, inter coenam, oblectare otium temporis; tentasse varios exprimere affectus, his joculari, ludere, amare, dolere, queri, irasci; interim huius opusculi illam esse verissimam legem, quam Catullus expresit:

Nam castum esse decet pium Pöetam

Ipsum, versiculos nihil necesse est. k)

Et ego lubens concedo, Plinium non oestro venereo ad hosce lusum concitatum fuisse, sed similem esse pluribus seculi nostri Pöetis, qui vinum laudant et sitientes aquam hauriunt; cum tamen l. c. ipse fateatur, volumen hendecasyllaborum legi, describi, cantari etiam, a Graecis quoque, quos latine huius libelli amor docuerit, nunc cithara nunc lyra personari; lubricam aetatem ad lasciviam hisce versiculis irritari, adeoque Plinio aliorum peccata recte imputari posse, haud facile quisquam negaverit. Vtinam iste Christi praeceptis fuisset imbutus, abstinuisset sine omni dubio ab hendecasyllabis.

Intuemini, Commilitones carissimi! intuemini vitam vestram

in

f. L. X. 25. g. L. X. 80. h. X. 17. i. L. VII. 41. k. L. IV. 14. s

in Pliniano hocce speculo, ut cum, quousque Philosophus solo naturae ductu in tramite virtutis naturalis progredi queat, mature discatis, tum intelligatis, quam multa adhuc vos, qui a Christo nomen geritis, deficient, atque ut eo intentius, gratiae suffulti viribus, ad doctrinam morum, a Prophetis, Christo et Apostolis traditam, animum advertatis, ad eam adspirantes perfectionem, qua caelesti Patri similes, qua ipsius divinae naturae participes fieri oportet eos, qui Christianam religionem sincero amplexi sunt animo.

Ceterum paucis significandum mihi est, tres disciplinae nostrae alumnos, bonae spei juvenes, scholae ultimum dicturos esse Vale. Cathedram igitur adscendentes

JOANNES GEORGIVS JACOBVS MEINE, Oldenburgensis, sistet *calumniatorem vapulantem*, sive, calumnias ipsimet auctori maximae esse contemtionis, docebit lingua vernacula.

GERARDVS ANTONIVS IBBEKEN, Blexensis, *qua ratione juvenis litteris deditus omnium favorem sibi conciliare queat*, ostendet oratione latina.

JOANNES DIETERICVS MEINE, Oldenburgensis, aget *de optimis remediis, quibus calumniae depelli atque eludi possint*, sermone patrio.

CAROLVS autem GVILIELMVS BRVNINGS, Varelenis, exercitii gratia, *honoris studium modestiae haudquaquam adversari*, idiomate teutonico demonstrabit, in academiam abituris commilitonibus prospera quaeque apprecaturus.

Si, quod opto et spero, nobis contigerit, ut, qui Scholam hanc tuentur et amant, actui huic valedictorio frequentes adsint et aequis Perorantes auribus audiant; non academicos solum, sed et eos, qui adhuc apud nos morantur, alumnos, ad alacriorem in studiis progressum excitatum iri, nullus dubito.



